

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

128. Circulatum majus Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

anteà ad dissolvendum, idque reperatur toties, usque sit absque omni residentia. Tum coagula materiam in pulverem siccum, & pone in Cucurbita vitrea orificii majoris & Alembici amplioris; Recipiens autem jaceat in vase aquâ pleno, juncturis optime clausis destilla igne aperto, attamen per quatuor horas valde leniter, postea fortiter, & ascendent spiritus flavescentes, qui dicuntur Aër, ignem continua in eodem gradu usque dum Alembicus rubescere incipiat; tum ignem urge ut Alembicus fiat sanguinei coloris, tum ignem adhuc auge, ita ut vitrum candeat ferri igniti instar, quod in eo retine calore, usque Alembicus fiat nivei coloris, tum adhuc fortius ignem urge ut Alembicus iterum fiat clarus & pellucidus, tum sine refrigerare, remove Recipiens, & oleum funde in vitrum purum, quod bene occlude, & habebis verum Vitrioli oleum nocte dieque in locis tenebrosis lucens quod custode bene pro necessitate tua. Scias autem in fundo reperiri sal album & pulchrum quod oleo suo rubicundo, &c.

Hoc Trismosini Receptum in omnibus fere convenit cum descriptione menstrui ex vitriolo Isaaci, adeo ut etiam ab Isaaco mutuatum mihi videatur, praesertim cum eadem Isaaci Phrasologia de Vitrioli calcinati rubedine volatili retenta fuerit, itaque quae superius in Isaaci menstruum animadversa fuere, huc etiam pertinent, addidimus autem istud eo quod Trismosinus Oleum istud in tenebris lucere, nos certiores reddit, de qua menstrui sui qualitate Isaacus sinit.

Ripleus. hujus Generis Menstrua confecit hoc modo.

128. Circulatum majus Riplei,

Pag. 395. Accurtationum,

TEmpus verae putrefactionis & alterationis fit sex hebdomadam spatio, quod tamen breviori tempore fieri potest, ut per medium tempus accurtetur, & hoc per acurtionem Aquarum nostrarum Mercurialium hoc est Aquæ albæ & rubæ (lactis & sanguinis Leonis viridis sub No. 59.) cum Mercurio communi sublimato, quod sic fac. Fixa & calcina Mercurium sublimatum, & ipsum solve in Mercurio nostro albo vel rubeo.

rubeo (*dicti menstrui*) ita ut totum sit aqua una & vera, quæ aqua sic acuta habet potestatem putrefaciendi & alterandi omnem calcem metallorum in spatio trium hebdomadum, & hæc de causa, quia in illa aqua duo tunc conjunguntur ignes, scilicet Naturæ & contra Naturam simul.

Mercurius communis Aceto phil. vel menstruo aliquo minerali dissolutus, vel sublimando per modum Circulati majoris Paracelsi, vel calcinando per modum Vitrioli in rubedinem calcinati Isaaci fixatus, denuò solvitur menstruo fætente & destillatur per Alembicum. Methodo qua Mercurius, eadem etiam reliqua Metalla mineraliæque redegit in Circulata majora. Ita

129. Acetum acerrimum metallicum Ripleyi.

Pag. 266. Clavis Aureæ Portæ.

HAbitis igitur istis duobus Mercuriis albo & rubeo (*menstrui fætenti*) practicabis cum illis aut super propriam terram (*vel caput mortuum dicti menstrui*) aut super calces Metallorum præparatorum, nam de Terra non est curandum, modo substantia ejus fuerit fixa. Accipe igitur quemcumque illarum in albedinem alteratam & fermenta hoc modo. Ad album opus sume calcem lunæ, & Terram alteratam (*calcem philosophicam menstruo minerali confectam Lunæ*) in æquali portione, tere infimul, & tempera cum albo mercurio quem nominamus Lac Virginis (*in Leonis viridis descriptione*) optimèque sublima, ferva & collige non fixum, tantum scilicet quantum ascendit album & adhærens partibus vitri instar mercurii sublimati, nam hic est noster ille Mercurius sublimatione factus ex alba Terra alterata. Hanc denuò super proprias calces temperando cum lactè Virginis, destillando & sublimando tere donec omninò fixetur, ita ut nullo modò possit ab igne moveri. Hic est Mercurius sublimatus & fixatus, pro quo stulti assumunt sibi communem illum ex communi Vitriolo & sale sublimatum, in quo plurimum errant. Hunc pone in circulatorium & superfunde Lac Virginis donec tegatur, deinde circuletur, & destilletur per alembicum. *Exem...*